

Vita ... Gottlieb Christophori Harless ... descripta a filio natu maximo. [Index scriptorum omnium] / [Johann Christian Friedrich Harless].

Contributors

Harless, Christian Friedrich, 1773-1853.

Publication/Creation

Erlangen : J.C.L. Hilpert, 1817.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jr53x4w6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

V i t a

Viri dum viveret Amplissimi

M. Gottlieb Christophori Harless

Phil. Doctoris et L. L. Art. Mag., Eloquentiae et Poeseos Professoris P. O.
Primar. in R. litt. Univers. Erlangensi, Universitatis huius Senioris, Reg.
Consiliarii aulici, Seminarii philolog. Directoris, olim Bibliothecae Acad.
Praefecti primarii, Gymnasii Erlang. Scholarchae, Membri hon. Imper. Ruth.
Universit. Moscoviens., Socii Reg. Scientiar. Academiae Paris. antea Institut
de France dictae, Academ. Sc. et Art. Magn. Duc. Florent., Acad.
scient. util. Erford., Societt. latin. Jenens. et Carolsruh., Societt.
theodisc. Brem. et Norimb.

in justam Eius Memoriam

descripta

a Filio natu maximo

D. Chr. Fr. Harless.

Erlangae, 1817.

typis Jo. Christ. Ludov. Hilperti.

M. Gotlieb Cypriani Hildes-

Omissa et Corrigenda.

In *titulo* huius biographiae in munera b. Patris plenaria descriptione ex errore fortuito *omissa* sunt verba: *Reg. Academiae Scient. Bavariae Socii ordin.*, quae ibi lin. 4. supplenda erunt. In Praefat. pag. 4. lin. 1. loco te leg. *et* — Pag. 6. in an- notat. lin. 7. leg. *emigraret*. — Pag. 15. lin. 10. leg. 1796. — *ibid.* lin. 18. leg. 1799. — *ibid.* lin. 25. leg. *transeun'es*. — Pag. 18. lin. 16. addenda sunt verba: *eodemque anno a Reg. Inclita Academia Scient. Bavaria inter Socios ordinarios extraneos receptus est*. — Pag. ead. 18. lin. 13. loco *erurus* leg. *rursus*. — Pag. 21. lin. 2. leg. *ptisanae*. — Pag. ead. lin. 28. leg. *inexploratus*. — Pag. 26. lin. 9. post *defen-* *sarum* adde (:) — *ib.* lin. 27. leg. *facientium*.

L e c t o r i

S.

Quum patris vitam filius describat, eiusque sic memoriam, et si nulla apud coaeuos vitaeque testes laudatione egentem, coram familiaribus non solum, sed in communione omnium adspectu recolendam sibi sumat, verendum omnino est biographo, ne in suspicionem incurrat, nimium sese pietati filiali indulsisse, neve accusetur de eo, quod ipse publicam laudationem viri non solum consanguinei, sed ipsius genitoris, in se suscepit, quem alii, haud sanguine quidem huic cognati, sed litterarum et eruditionis genere et copia tali aequaliores, dignius forsan jureque meliore laudaturi fuissent. Ast dum b. Parentis amici, et quotquot eius memoriae bene dicunt, mecum vitae meritorumque ipsius digniorem et uberiorem expositionem ex eiusdem illustris Academiae, cuius Senior collega membrumque fere quinquagenarium erat, instituto et Collegarum egregie doctorum opera ad hunc usque diem, id est inde ex sesqui anno et quod excurrit, cupide (utinam non frustra!) exspectant, non amplius haesitare potuit amor pietasque filii, immo flagitavit, ut huius Viri, qui ipse ex officii ratione, Acadiae suae orator, tot Collegarum olim ipsi specialius conjunctorum memoriam laudesque publicis sermonibus scriptisque celebrasset,

et cuius inter discipulorum ingentem copiam tanta auctoritas, inter exterios tanta fama fuisset, nomen honosque post fata aliquo saltem modo, breve tantum et succincta vitae adumbratione celebraretur. Huic officio fungendo operam meam cum mixtis animi sensibus, gratisque acerbisque, impendens, et vicaria saltem manu ac simplici nec specioso stilo vitam patris describens ego, non nisi verum iustumque sequi et reddere studui, neque temerarium ingratumve quid suspicere putavi. Quare etiam non pluribus hic addendis opus habere mihi videor, quibus propositum excusem. Facile quidem multo prolixiora et specialiora de b. Parentis gestis meritisque enarrare potuissem, nisi disuasisset ipsa pietatis erga patrem ratio, scriptorisque praeposita brevitas. Subiungi etiam hanc vitam curavi *Catalogo Bibliothecae* b. Patris a me confecto, et nuperrimis diebus in lucem edito. At in illis, quae Catalogo huic adjecta sunt, biographiae exemplaribus, proli dolor magna sphalmatum typographicorum copia scatentibus, non solum quaedam passim aliter erant expressa, quae hic mutata invenies, aliaque in postrema parte, quantum ad morbi letalis historiam attinet, multo brevius concepta, quae hic uberior exposui et therapiae expositione auxi, sed in iisdein illis etiam omiseram scriptionum b. Patris plenarium indicem, cuius additione ad hanc vitae editionem, in forma maiori et correctius atque elegantius litteris excusam, lectori non ingratum me fecisse spero.

Dab. d. 20. Octobr. MDCCCXVII.

V i t a

b. Gottlieb Christophori Harless *).

Ἄρετη δε, καν θανη τις, οὐκ ἀπολλυται.
Ζῆ δ' οὐκέτ οὐλος σωματος. Κακοῖσι δε
Ἀπαντα φεδος συνθανονθ' υπο χθονος.

Euripides.

Natus est Vir mihius *Pater* piae et venerandae memoriae Culmbaci Francorum, oppido in principatu Baruthino sito, parentibus honestis et probitatis pietatisque de core conspicuis, Joanne Georgio Harless, ad templum civitatis aediluo et telae laneae

*) De vita scriptisque b. *Patris* partim prolixius partim brevius egerunt b. Meyer, in *biograph. u. litt. Nachr. von d. gegenwärt. Anspach. Baireuth. Schriftstellern etc.* 1782. — b. Adfinis G. W. Fikenscher, gelehrt. *Fürstenth. Baireuth*, Bd. III. 1801., iterum ad verbum recus. (indice tamen scriptio. novo ordine digesto et aducto) in *Ejusd. vollst. akad. Gel. Geschichte der K. Universit. zu Erlangen*, 2te Abtheil. 1806. — cfr. *Allgem. Jahrbuch d. Univers.* Bd. I. Heft 4. Erf. 1792. — *Annalen der deutschen Universitäten*, von Justi und Mursinna, Marb. 1798. — S. V. *Papst gegenw. Zustand der Univers. zu Erlangen*, 1791. — Celeb. Meusel gel. Teutschland, V. Ausg. Bd. III. und Nachtr. Bd. IX—XI. — Bouginés Handb. d. allgem. Literargesch. Th. IV. 1792. — Ekkards litterar. Handbuch. T. II. 1782. — *Allgem. Zeitung* 1815. (Nro. 144. 45. Beil.), in qua vir anonymous quidem, at longe clarissimus et elegantissime doctus, primum defuncto memoriam eamque egregiam posuit. — Plura et specialiora quaedam hic ex ore b. Patris, saepius mecum de vitae suae vicissitudinibus confabulantis, subjungere iuvat. — *Icon* b. Patris, aere incisus, editus est a Haidio (1777), in folio, *Hesselio*, in 4to, J. W. Bock (1795) in 8vo.

fabricatore, ex stirpe olim Bohemica eaque nobili oriunda*), et Anna Kunigunda, nata Schmiegel, die 21. Junii anni MDCCXXXVIII. Teneram admodum debilemque corporis constitutionem ab incunabulis et in infantia adeo pae se ferens, ut parentes de vita ipsius conservanda parum, multoque minus de proroganda ipsa ad aetatem adolescentem et ultra sperare auderent, insitae tamen energiae vitalis haec erat laete crescens vivacitas, nutritionisque successu et corporis robore sicut animi viribus tantum puer profecit, ut vix ex ephebis egressus parentes metum istum abjicere, et optima quaevis de diuturniore vitae viriumque conservatione et corroboratione augurari iuberet. Nec omisit quid parentum cura, quod ad mature, immo justo maturius, excitandum et formandum pueri animum alacrem, et discendi avidissimum, sicut ad colendum justi probique amorem utiliter facere potuerit; etsi pater ipse per senium (nam tum, quum filius ipsi natus esset, jam ultra sexagesimum annum agebat) et per occupationis genus filii educandi et erudiendi officio minus incumbere potuerat, maiore parte id tum uxoris piae, tum postea magistrorum publicorum curae/ relinquens. Vix vitae annum tertium absolvens puer, tanto jam litteras discendi ferebatur amore, ut ex pastoris Wirth eruditione legenda et scribenda linguae vernaculae arte brevissimo imbueretur. Anno aet. quinto in Lycei Culmbacensis classem infimam receptus, ibi Weissii ductu elementa linguae latinae et cultus divini, methodo licet, qualis tum temporis esse solebat, minus idonea proficuaque, puerique alacrem mentem hinc sensim taedente, hausit. Novam autem eamque multo acceptioram fertilioremque disciplinae scholasticae viam ei patefecit reditus fratri natu maioris, Christiani Harless, ex Lipsensi Academia in domum, anno 1748, quo is primum privato erudiendorum puerorum munere fungi suscepit, tum (inde ab a. 1751.) in Lyceo Culmbensi praceptoris tertii, postea Correctoris provinciam obtinuit, Huius enim fratri, viri aeque probi candidique ac docti et in erudiendo optime versati, quem ut alterum parentem (annis omnino fere viginti maiorem) admodum dilexit, indefesso studio optimeque instituta eruditione tum privata, tum publica in ipso Lyceo, factum potissimum est, ut pater ad solidiorem et politiorem elementorum philologiae et linguarum veterum, in primis latinae et graecae (quam sub fratribus

*) Plures certe ex b. Patris ore audivi, stirpem Harlesianam, aut eius saltem ramum, ex quo avus paterque provenere, initio belli tricennalis saeculi XVII., Bohemiae nescio quam regionem, in qua antiquitus domicilium habuerat, agrosque vel praedia nobilitatis titulo possederat, evangelicae fidei, tum temporis ipsi in culpam crimineque versae, tuendae causa reliquisse, et tutoirem inturbatamque vitae conditionem, etsi demissam et egenam, in vicino principatu Baruthino petiisse. An avus aut proavus patris fuerit, qui emigrare ex patrio solo, b. pater meus, qui infantili sua aetate parentem suum haec narrantem audiverat, certa memoria tenere nequivit. Nęque etiam propterea certioris quid de antiquiori stirpis suae historia et de domicilio olim in Bohemia habitu rationibus compériri potuit, quod in incendio, quo domus paterna jam ante ipsum natum combusta est, etiam omnia documenta scripta, ad historiam et originem stirpis suaē pertinentia, et ab emigrantibus majoribus diligenter servata, una in flammis perirent.

auspiciis primum inde ab anno aet. X. discere coepit) cognitionem addueeretur; simulque amore studioque peculiari historiae litterariae et antiquitatis firmaretur. Hanc propensionem ad colendam litteraturam graecam romanamque, sicut ad amplius cognoscendam historiam litterariam, non solum nutritivit aetate illa puerili sedula lectio vitarum clarorum virorum, a *Clarmundo* (verius *Rüdigero*) scriptarum, similiumque quorundam librorum biographicorum, sed aeuit direxitque fratris optime de hoc quoque meriti cura, qua is per plures annos patrem meum, melioris exercitii ususque causa, ex diariis indicibusque criticis litterariis idoneorum librorum censuras vel epitomas, secundum ordines praescriptos, in peculiare volumen chartaceum transscribere, et utiliora quaevis excerpere iussit.

Quum b. patris parens, avus mihi, anno 1751, vitae septuagesimo quarto, fatis cederet, rem domesticam valde angustam, viduamque aerumnis et labentis corporis infirmitatibus afflictam relinquens, pueri annum decimum tertium agentis unica fere spes in fratre posita erat. Ast proh dolor haud diu hoc fraternae curae beneficio frui eum licuit. Nam anno jam 1755 hunc quoque alterum nutritorem praematura mors eripuit patri meo, jacturam hanc acerbissime sentienti, ipsumque denuo reddidit orbum et fulcro destitutum. Neque multum abfuit, quin ex matris egestatem respicientis continua adhortatione et precibus a proposito, litteris humanioribus studendi, abduceretur, et ad arripiendam artis cuiusdam culturam commoveretur. Attamen vicit fervidus intrepidusque amor litterarum sibi electarum; matrisque a diutius dissuadendo studii academicici curriculo tandem desistentis votis in eo tantum cessit filius, sautorum de ipso meritissimorum, Praesidis Consistorii a *Dobeneck*, Archidiaconi *Meyer*, et in primis Superintendentis *Silchmüller* consilio commotus, ut loco iurisscientiae studii, quod primum iunctum cum philologia amplecti secum constituerat, theologiae operam navare, eiusque studium angustiori cum philologicis doctrinis vinculo jungere sibi proponeret. Hinc, quantum fieri licuit per modulum eruditio[n]is, quam ipse post mortem fratris in superioribus Lycei ordinibus a praceptoribus doctis quidem, sed verae methodi, litteras elegantiores eleganter docendi auctoresque veteres ex ipsorum mente cum gustu et fructu legendi, parum curiosis peri[t]isve capessivit, non solum intelligendis et explicandis Graeciae Latique veteris scriptoribus, consulendisque (idque nimium forsitan, ut illius temporis disciplina scholastica secum ferebat, fontes antiquos saepius immeritoque interpretibus et scholiastis inferioris aevi ingeniique postponens) illorum commentatoribus et grammaticis, sed etiam addiscendis linguae hebraicae et antiquitatis christianaee elementis indefessa opera incubuit. Quantum tamen morae et impedimenti progressibus ipsius in antiquitatis classicae recta cognitione et existimatione ex methodi istius temporis perversae, quae verba potius et litteras quam sensum ponderare docuerat, sectatione objectum fuerit, ipse b. pater maturiore aetate, quum studiis academicis incumberet, egregie sensit, seriusque ne discipuli quoque sui in simile vitium inciderent, prospiciens, in variis scriptoribus publicis academicis (uti in primis in Programmatt. de Pedantismo philo-

logico I—V) detrimenta eiusmodi sinistrae methodi, quam ipse felici opera iuvenis adhuc a se abjecerat, exposuit.

Inter hos labores adolescens, dum adhuc Culmbaci degeret, ob rei domesticae penuriam vitae generi maxime parco sobrioque adsuetus, parum quidem sensit fortunae duritiem, subsidiorumque ad studia iuvanda inopiam. Acerbius tamen utrumque sensiisset, nisi supra laudati Superintend. *Silchmüller*, cuius liberos una cum aliis pater meus iam inde ab anno aet. 15mo in linguae latinae, arithmeticæ etc. clementis instituerat, benefica admodum vereque paterna cura eximie sublevatus fuisset. Memoriam huius optimi viri exinde ad cineres usque gratissimo recoluit animo.

Ineunte vere a. 1757, aetatis auno 19mo, b. Pater, pauper admodum nummis, ditissimus spe et fiducia in Deum providum et in proborum hominum benevolentiam, Universitatem litter. patriam nostram, Erlangam, petiit, ibique per duos annos, stipendiis publicis aegerrime sublevatus, mox tamen praceptoris domestici suscepto munere adiutus, praceptoribus usus est *Pfeiffero*, eius fauore insigni, in theologicis, *Zenkelio* et *Windhemio* in hebraicis, *Succovio*, cuius ingenium acutissimum et magnanimitatem maximi aestimavit, in philosophicis, *Reinhardo* in antiquitatibus, historia profana, ecclesiastica et litteraria, atque *Chladenio* in poliendo stilo latino. A. 1758 a Societate theodisca Altdorfina ut socius honorarius receptus, etiam in hoc litterarum genere diligentius laboravit, et colenda linguae nostrae egregiae largiorem operam impendit. Quod ad graecae linguae studium attinet, in eo ulterius, dum Erlangae commoraretur, excolendo minus idoneam copiam factam sibi invenit, proprioque hinc marte in illa proficere nitus est.

Anno 1759 *Halam* ad Salam petens, ibi *Frankii*, immortalis illius Orphanotrophei conditoris, nec non *Freilingshausii* benevolentiam mox adeo sibi comparevit, ut ex horum auctoritate praceptoris munere, primum in inferioribus classibus, brevi post in superioribus, insigniretur. Ipse sic in docendis linguis antiquis novam discendi copiam inveniens, magistros habuit in Philosophia *Meyerum* et *Weberum*, in Theologia et Histor. eccles. *Semlerum*, in philologia sacra et profana *Nösseltum*, cuius Disputationi pro loco d. 7. Decbr. 1759 habitae Respondentis munere interfuit, et e cuius quotidiana consuetudine ac eruditione summum usum praesertim in profundius et elegantius explicandis auctoribus vett. sese hausisse, b. pater semper gratissimo animo professus est: Durante tempore, quo *Hala* litteris studeret, contigit ei quoque, ex litterarum commercio in gratiam et amicitiam singularem *Reiskii* venire; quo simul id ipsi commodum acceptumque evenit, ut *Reiskii* non solum, atque I. A. *Ernestii*, cuius utriusque viri summe docti visendi causa saepius Lipsiam venit, bibliotecas adire, consiliisque ipsorum ad studia sua dirigenda uti ipsi liceret, sed cum ipsis illis sicut reliquis, qui ipsi favebant, praceptoribus etiam post discessum suum continua consuetudine literaria et diligenti epistolarum commercio, cum *Nös-*

selto, Reiskio; Ernestio, aliisque adeo interioris amicitiae vinculo iunctus maneret. Anno integro Halae transacto, partim ob necessariam curam sanitatis ex vita nimium sedentaria lucubrationibusque praeter modum continuatis admodum vacillantis, et ob pulmonum labis periculum coeli solique commutationem serio suadentis, partim ob nova eruditionis augmenta studiorumque subsidia sibi paranda, primum quidem in celebrem Academiam Göttingensem transire secum constituerat. Quum vero ibi nondum statim pateret locus in Seminario philologico, a venerabili *Michaelis* ipsi in eventum consignatus, nec sine tali vitae victusque adminiculo ipse omni proprio aere destitutus Göttingae, in caritate praesertim rerum, qualis tum tempore belli septenarii erat, subsistere potuisse, verno tempore a. 1760 Jenam petiit. Ibi non solum scholis mathematicis et physicis *Succorii*, historicis *Buderi*, numismaticis *Müllerii*, aliisque pluribus, et inter eas theologicis quoque, sueta diligentia interfuit, unaque in societate latina, quae jam tum Jenae florebat, caiusque statim post adventum socius factus erat, in scribendo et disputando sedulo vires exercuit, primitias laborum literariorum ex huius societatis gremio (in duabus dissertatt. de praeconibus apud Graecos etc.) in publicum edens, sed ex intima in primis cum *Klotzio*, ipsius Contubernali, consuetudine et amicissima familiaritate, quae postea quoque ad viri huius acutissimi et elegantissime docti mortem usque numquam interrupta fuit, eximios fructus circa philologiae elegantioris pleniorum aestimationem, et fructuosiorem ac luminosiorem auctorum veterum interpretationem, grammaticae criticaeque, qualis antea fere sola agitabatur, iustos limites dignitatemque inferiorem tribuentem, percepit. Atque licet *Klotzii* alacre ingenium et ad controversias litterarias propensio hunc saepius ad lites aliis viris doctis inferendas inducebat, b. Pater numquam tamen harum compos esse voluit, sed ad componendas potius plures earum, conciliandumque amicum cum Reiskio aliisque pro viribus contulit.

Cacterum b. Parens non solum Klotzii, sed aliorum quoque ei faventium, et suppeditandis vitae adminiculis de ipso optime merentium virorum, dum Jenae commoraretur, benefactis adeo bene sustentatum se sensit, ut hoc sesquianni tempus, quo Jenae degeret, simul cum sequenti anno, quod Goettingae vixit, inter iucundissimas vitae sua periodos referret. Haud parum ad vitae illius amoenitatem contulit amicitia arctior, quam Jenae contraxit et ad ultimum vitae sua halitum servavit cum suavissimo studiorum consorte et contubernali, *Schafeitel*, postea verbi divini in comitatu Pappenhemensi ministro, adhuc superstite, familiarisque antiquissimi et sincerissimi jacturam acerbissime sentiente. Praeterea haud exiguum quoque voluptatem inventit in erudiendis juvenibus, professorum quorundam Jenensium filiis, commilitonibusque quibusdam in lingua latina et hebraica instituendis. Paedagogicae artis disciplinaeque, quam semper egregie amavit, sic magis magisque peritus, iam tum de institutionis publicae et privatae emendandae, methodique docendi reformandae necessitate cogitavit, et hinc, Jenae adhuc quum esset, scriptionem monitoriam suo tempore laudatam (Gedanken von d. Zustand der Schulen und ihren Verbesserungen,

1761. 8. j edidit. Theologiae dogmatico-homileticae atque exercitationis in arte concionandi minus quidem studiosus, eiusque philologicam potius atque exegeticam partem reliquis praeferens, illam haud tamen prorsus neglexit, interdum orationes sacras habens in templis, et si timidus semper et fere invitus ad tale opus accesserit.

Exeunte autumno a. 1761 de curriculo studii academici finiendo cogitans, atque animum ad subeundum munus praecceptoris aut scholastici aut privati adpellens, jam-jam consilium ceperat, ex Longolii, Gymnasii Curiensis meritiss. Rectoris, commendatione Erlangam proficisci, ad ineundam ibi provinciam ephemeridum politicarum scriptoris, a Consiliario aul. *Groß*, b. patris cognato, ipsi demandatam, quippe quum non solum huius laboris remunerationem sufficientem pro vitae suae simplicitate, sed alia quoque emolumenta sibi stipulata, unaque opportunitatem acceptissimam, simul cum magistri liberarum artium honoribus doctoris legentis iura sibi in patria Academia parandi, oblatam videret. At in hoc ipso momento inopinatus a Göttingensi illo Professore cel., quem in primis magni faciebat, *Michaelis*, litteras accepit, quibus ipsi locus in Seminario philologico cum solito stipendio offerretur. Neque hinc haesitavit amplius, neque amicorum admonitionibus bellique, quod tum temporis illic in primis saeviebat, strepitu retineri se passus est, Göttingae eiusque thesaurorum litterariorum visendorum, institutionisque, qua celeberrimi Academiae illius doctores eminebant, in suum usum convertendae cupidissimus. Postquam itaque ab ampliss. Philosophorum ordine in Academia patria Erlangensi d. 51. Decembr. 1761 Doctoris Philosophiae et L. L. A. M. dignitate ornatus esset, huius licet honoris ac praerogative, quamdiu Göttingae esset, nullum faciens usum, ineunte vere a. 1762 aliam *Georgiam Augustam* adiit. Ibi per annum et dimidium fere non solum fautoris sui eximie de ipso merentis, *Michaelis*, institutione in linguis orientalibus, syriaca praesertim, et in exegesi librorum sacrorum, sicut cel. *Gessneri* in interpretandis profanis auctoribus graecis latinisque, archaeologiaque penitus cognoscenda eximia cum animi satisfactione usus est, sed ex praceptis physicis ac mathematicis nec non philosophicis magni *Kaestneri*, cuius non minus singulari favore et fere paterna benevolentia frui b. patrem, et quocum fere quotidie consuescere ipsum licuit, uti ex scholis historieis, statisticis etc. *Achenwalli*, *Weberi*, a quo brevi post adventum, filii ipsius, nunc Professoris Kiloniensis celeberrimi, instituendi causa in domum receptus, amicissime tractatus, egregieque in vitae subsidiis adjutus est, aliorumque V. V. doctorum eximios fructus capessivit. Neque neglexit ibi linguarum nuperiorum studium, gallice in primis atque anglica, a Professoribus *Colom* et *Dietz* sibi traditarum, sicut etiam *Murrayum* in historia naturali et itinerum audivit, et ultimo trimestri *Heynii* quoque, Viri summe insignis, qui tum primum Göttingam defuncti *Gessneri* in locum venit, auditor, ni fallor, factus est, cum eoque foedus amicitiae inivit, quod posterum tempus continuatumque epistolarum commercium ad utriusque viri mortem magis magisque firmavit.

Accessit b. Patri ad haec vitae studiosae et in litteris ardenter praesidia atque oblectamenta amicissimi sui Klotzii adventus in Academiam Göttingensem, in quam is maxime ex b. patris opera ad philologiam profitendam vocatus erat. Eundem enim, quo Klotzius b. patrem iam Jenae amplexus erat, beneficium fraternumque animum hic quoque ei praestitit, et in primis in morbo febrili typhode acutissimo, ex quo b. pater aegre tantum emersit, eximiam summeque proficuum eius curam habuit. Haec omnia fecere, ut b. pater temporis illius felicis, quod Göttingae vixit, numquam sine peculiari voluptate et gratissimo sensu meminisset, saepius mihi narrans, quam contento impavidoque animo ipse tum fuerit in urbe per plures menses ab hoste gallico obsessa, inter tormentorum tonitrua et pericula vitae haud semel exantata. Ad componendos libros magis magisque propensus, scripsit Göttingae, praeter epistolas quasdam de fato Homeri, volumen I. vitarum philologorum (Brem. 1762), cum plausu ab orbe litter. acceptum, nec non libellum de nominibus Graecorum (Jen. 1765).

Aestate anni 1763 tum amor patriae, tum cognati Grossit, cuius beneficium animum iam Göttingae ex repetitis donis expertus erat, adhortationes, tum etiam Princeps Barathini Administri, Comitis de Ellrod litterae invitatoriae reduxerunt patrem in urbem nostram Erlangam, quantacunque vi Klotzius aliique amici eum Göttingae retinere studerent, neque dubium ipsum esse siverunt de recusandis duabus vocacionibus, ad Rectoris munus subeundum tum ex Holsatia tum ex Hannoverana quadam civitate ipsi transmissis. Redux Erlangae, inde a m. Septembr. 1763 diarium politicum Grossii nomine et auctoritate per duos fere annos scripsit, simul vero Doctoris privati s. Magistri legentis iura sibi scripta publiceque defensa dissertatione de Jove Homeri d. 12. Novembr. eiusdem a. acquirens, scholas aperuit academicas tum philologicas et archaeologicas tum historicas, quibus discipulorum nec defuit numerus nec plausus. Condidit insuper societatem latinam privatam, exercitationibus in scribendo et disputando potissimum dicatam, serius, quum e Coburgo Erlangam rediret, ab ipso renovatam, cuius statuta aequa omnino simplicia ac ad latinitatis et philologiae in genere studium inter commilitones alendum idonea adhuc in manus mihi sunt.

Anno sequenti Ordini Philosophorum membra adjuncti nomine adscriptus, locumque in ipso ex disputatione (d. 7. Julii 1764) de origine voc. Nuremberg nactus, suscepit quoque curam edendarum ephemeridum litteriarum Erlangensium, cuius operae annuam mercedem tulit, mediocrem licet, at ipsi, cui ad vitae necessitates sibi parandas nihil nisi parcissima subsidia ex doctorum laborum scholarumque redditibus patebant, admodum acceptam. In scribendo porro occupatus, praeter alias plures commentationes minores epistolasyne in lucem edidit Introductionem suam in linguam latinam (Bremae 1764), qui liber una cum vitiis philolog. in primis ad famam suam latius divulgandam contulit, et postea (1773, 1789, 1799, 1810 etc.) pluries multoque semper auctius ab ipso editus est. Eodem circiter tempore haud multum absuit, quin Rigam ad gerendum munus Rectoris Gymnasii vocaretur. Loco autem honorifici huius muneris, quod ipse haud ambiverat, ex Comitis de Ellrod patrocinio eo-

dem tempore ei aliud, neque minus gratum, Professoris nimirum Philosophiae Erlangensis extra ordinem, cum annuo aliquo stipendio, collata est; quam provinciam etiam solemnii habita oratione (de iucunditate atque utilitate, quas litterae profanae studio philologiae sacro adferant) et scripto programmate d. 3. Maii 1765 adiit. Vix tamen per mensem unum alterumve hoc munere funetus est, quippe ipso, quo orationem in aditum habuerat, mense a Duce Saxonum Coburgensi ad suscipienda officia Professoris P. Ordinarii linguae graecae et orientalium in Gymnasio academi Casimiriano, quod Coburgi floret, vocatus, et hanc vocationem, quamvis a Principe Baruthino eiusque Administris ad retinendum munus in Academia patria sub proxime vacaturae ordinariae professionis largiorisque stipendiis sponsione invitatus, fidei iam datae servandae causa, medio Julio a. 1765 sequutus est. Ipso, quo Erlangam relinqueret, tempore foedus conjugale primum paravit pauloque post initit cum filia natu majore celeberrimi quondam Jurium Professoris nostratis et Consil. aul. intimi *Schierschmid*, quam tamen uxorem optimam et ab ipso peramatam fata praematura nimis cito ei (a. 1768.) eripuere.

Coburgi a Casimiriani Directore sui amicissimo, *Frommanno*, reliquisque Collegis optime receptus et candida nec interrupta amicitia adjutus non solum, sed etiam specialiori Ducis tum regnantis Principisque Haereditarii gratia et favore Jornatus auctusque, ibi in primis bene iucundeque se habuit b. pater, gratissimam semper temporis illius memoriam recolens. Saepiusque eum tempus illud laudantem memini, felicissimum, quo Coburgi sub principis humanissimi, frequentissime eum ad Se invitantis, auspiciis, et in collegarum amicorumque societate conjunctissima, omnibus acceptus, nemini adversus invidiaeque expers vixerit. In primis ad vitae huius amoenitatem multum fecisse favorem insignem et vere amicum, quo ipsum tum L. B. de *Thümmel*, poetarum amabilis Nestor et patriae decus*), tum ipsi conjunctissimus *Feder*, veteranus ille inter philosophos longe dignissimus, amplexi sunt, sicut *Autichii*, *Fischeri*, aliorumque amicitiam, gratus semper professus est. Turbavit sollemmodo animi serenitatem mors dilectissimae uxorius, filiam enixa adhuc superstitem, sororem mihi carissimam, et ipsam jam (inde ex anno 1789) dignissimo Decano et Consistorii a consiliis olim Thurnaviensi, nunc Casendorfiensi, adfini suavissimo, *P. Chr. Georg* nuptam, plurium liberorum nunc matrem aviamque.

Ex muneric non solum ratione (eloquentiae enim professionem mox loco linguar. orientalium eius suscepserat), dum Coburgi esset, multitudinem Programmatum scripsit, in quorum pluribus ad acuendum pulchri et venusti in studiis philologicis sensum, ad excitandam elegantiores et aestheticam magis nec verborum censurae solum inherentem auctorum vett. interpretationem, et ad emendandam cruditionis privatae

*) Obiit nuperrime (m. Octobris h. a.), uti nunc lego, venerandus hic senex summeque amabilis poeta, nobis posterisque nunquam interituram carminum dulcedinem gratiamque relinquens.

et scholasticae methodum, ex optimorum quorumque iudicium arbitrio egregie fecit: sed recensendis quoque et illustrandis graecis latinisque scriptoribus operam impendere incipiens, haud exiguo cum fructu composuit ediditque Chrestomathiam graecam poeticam, addita Aristophanis Comoedia Plutus dicta, (cum suis aliorumque notis (1768), cuius Chrestomathiae novam multumque mutatam et auctam editionem postea (a. 1775) paravit, nomen ei dans Anthologiae graecae poeticae, quae ipsa serius (1792) denuo emendatior ab ipso redditia est. Praeterea continuavit vitas Philologorum Volumine II et III., quartum idque ultimum a. 1772 subjungens.

Quum anno 1769 principatus Baruthini dominium haereditariae successionis iure cum principatu Onoldino sub regimine Cels. Marggravii Onoldini *Alexandri* uniretur, atque ex hac unione Universitas litt. quoque Erlangensis sub imperium atque supremam tutelam humanissimi huius atque scientiarum artiumque amantissimi Principis, almae nostrae restauratoris et nutritoris liberalissimi et in aeternum de ipsa meriti, veniret, inter plures alios litterarum doctores huc vocatos etiam b. Pater eodem adhuc anno a Celsissimo Principe ad Professoris Rhetorices et Poeseos ordinarii munus gerendum, oblata simul Consiliarii aulici dignitate, invitatus est. De arripienda hac vocatione per aliquod tempus dubius haesitans, beataque, quam Coburgi gessit, vita vix feliciorum sibi cupiens, patriae tandem amore commotus, amplificandaeque sui ipsius non solum sed aliorum quoque doctrinae et philologiae studii augendi opportunitate concitatus, subsidiis certe latius sibi in nova patentibus provincia, dilecto Coburgo mense Aprilis a. 1770 valedixit, novumque munus in Academia nostra Erlangensi, quo simul ei officium oratoris Academiae publici incumberet, proxime sequenti mense oratione solemni (die 3. Mai habita), cui programma de interpretatione Homeris praemiserat, faustis sub omnibus restaurati Academiae floris adiit.

Ex hoc tempore ad ultimum usque vitae diem (ubi tantummodo ab extremo morbi lethalis tempore discesseris), per longum annorum quadraginta quinque et quod excurrit spatium, hoc munere reliquisque cum ipso deinceps conjunctis negotiis publicis gerendis omni, qua potuit, virium intentione totoque animo indefessus perfunctus est, nullo tempore nullisque unquam vitae vel domesticae privataeque, vel publicae vicissitudinibus turbisque aut animi corporis reficiendi recreandive opportunitatibus immo necessitatibus, nisi morborum graviorum cura talem quandoque imperaret, a perficiendis doctoris publici senatusque academici et ordinis philosophorum membris officiis avocari sese patiens. Et quum in primis ex Illustriss. Administris L. B. de Gemmingen, Viri Eximii et de Universitate nostra in aeternum meriti, favoreque suo b. patrem meum egregie insignientis, cura specialiori (Viris praestantissimis, Junckhemio, Haenleinio, Loeschio etc., nunc inter coelites beatis, operam suam ad hoc apprime adhibentibus), id b. patri optatissimum et ab ipso desideratissimum eveniret, ut ex propositis ab ipso rationibus modisque Seminarium philologicum (anno 1777) conderetur, sodalium definito numero simul anni stipendii mensaeque beneficium per quadriennium praebens, huiusque instituti utilissimi moderamen Patri

demandaretur, tanto is officii amore studioque explendis muneribus adiuvandisque Universitatis commodis inhaesit, ut patriae deditissimus gratissimusque quascumque munerum academicorum apud exteris capessendorum propositiones, sibi deinceps a variis Universitatum extranearum magistratibus factas, utut honoris lucrique oblato accessu insignes, constanter recusaret. Accessit eodem fere tempore ad haec doctoris publici Seminariique philol. praefecti officia aliarum provinciarum in ipsum collatarum administratio, nimirum tum Scholarchae Gymnasii urbis nostratis (inde ab a. 1777), quo munere cum aliis tribus collegis communi usque ad ultimum vitae temporis impigerrime functus est, tum (ab a. 1776) Praefecti Bibliothecae Academicae primarii, in quo munere gerendo collegam et adjutorem habuit dexterimum peritisimunque b. *Pfeifferum*, sibi simul amicissimum et vero familiarem, olim (dum Pater Professoris extra ordinem munere fungeretur) suum discipulum, qui eum a. 1805 in suprema Bibliothecae Acad. cura gerenda secutus est, cuiusque Viri candidissimi nuperam mortem admodum lugemus. Quorum quidem munerum gravitatem quum aequaret fungendi zelus et dexteritas, et vero successus, idque latere non posset tum Principis Alexandri, tum postea Potentiss. Regis Borussorum, inde ab a. 1792 principatum Brandenburgo-Franconicorum imperium tenentis, eorumque Administrorum attentionem, non defuerunt patri meritorum praemia. Siquidem non solum jam inde ab a. 1776, quum Seminarii directionem adiret, stipendii annui ad auctione praeditus, sed etiam novo redditum ex munere augmento a. 1798 e munificentia Potent. Regis Borussorum, *Friderici Wilhelmi III.*, donatus est. Qua quidem largioris stipendii collatione tanto magis b. pater sublevatum atque in impensis tam pro domo sua rebusque familiaribus, quam ad parandos et amplificandos pro muneric ratione apparatus literarios faciendis sustentatum sese sensit, quanto magis sensim ex incremente liberorum numero victus reique ceterae domesticae largius comparanda amplificandae que cresceret necessitas, animumque paternum sollicitans cura. Nam haud diu post redditum in Academiam nostratem (anno 1770) secundis nuptiis sibi vitae sociam jungens filiam natu majorem Cel. Professoris quondam Medicinae in Universitate Noricor. Alt-dorfina, *Jo. Nic. Weiß*, avi mihi aeternum venerandi, virique de Anatomia et Physiologia augenda suo tempore eximie meriti, ex uxore hac dignissima prolem habuit binam, filiam adhuc superstitem, mihique germanam dilectamque sororem, et memet, qui, dum hoc scribo, adhuc triste lugeo fatum, quod matris optimae, ex febre puerperali inopinata morte (paucos post dies, quam in lucem me ediderat) mihi patrique ereptae, pios manes tantum venerari, ipsius autem, cuius ne imaginem pictam quidem relietam teneo, dulci adspectu nonnisi per primum vitae octiduum frui me sineret. Jacturam tamen, quam feceram una cum germana, egregie reparavit mox patris consilium, ad tertia vota coniugalia transeuntis, et mercatoris Norimbergensis spectatissimi, *Joh. Tobiae Kießlingii*, filiam natu tertiam a. 1774 in matrimonium ducentis. Cuius quidem matronae venerabilis virtutumque et pietatis laude vere insignis, quam adhuc superstitem et in senio septuagenario adhuc bene valentem colimus, ut diligentissimam admodumque beneficam curam, qua mihi inde ad teneris non ut neverca, sed ut mater amantissima prospexit, et qua nunc filium quoque meum uni-

cum, in praesentia philologiae in hac litt. Universitate studentem, amplecti pergit, hic publica laude praedicem, gratus animus poscit. Cum dignissima hac conjugae per 41. annos in beatissimo consortio vivens b. Pater, numerosam ex ea genuit sobolem, nimirum quinque filios, et tres filias, ex quibus duo iam in prima infantia ad coelites rediere, duoque alii in aetate adulta praematuris fatis abrepti sunt: scil. frater natu tertius, optimaeque spei iuvenis, *Georg*, Augustae Vind. mercaturaे operam dans, anno 1798 ibi typho tunc epidemice grassante aetatis flore XIX annorum necatus, et soror natu secunda, Baruthi Professori Gymnasii meritissimo scriptisque multis claro, Theologiae Doctori *Fikenscher*, qui iam aliquot annis ante uxorem mortuus est, inde ab a. 1798 nupta, anno autem proxime praeterito febris malignae vi proh dolor interemta, bonis omnibus flebilis. Reliquis quatuor ex hac conjugae liberis adhuc viventibus, at proprios lares diversis in locis colentibus, in aetate adultiore eminus magis quam cominus pater gavisus est, scilicet fratre ex hoc matrimonio natu maiore, *Joanne Felice*, mercatore nune Norimbergensi dexterimo, mihiique non sanguinis solum, sed cordis quoque amorisque vinculo intime conjuncto, tum fratre secundo, *Justo Christiano*, et tertio, *Carolo*, utroque pariter mercatoria negotia, illo Basileae, hoc nunc Norimbergae, sedulo gerente, atque sorore dilectissima, *Johanna*, ex sororibus natu minima, inde ex a. 1800 viri optimi, *Stettneri*, antea Rectoris scholae Feuchtwangensis, nunc verbi divini in pago Ebermergen prope Noerdingam Ministri egregie meriti, conjugae facta. Et quum deinceps plurimi horum liberorum matrimonia inirent, id venerando seni faustum volupeque evenit, ut ex iis sensim nepotum 16. et unius pronepotis laeta corona cinctum se videret, quos inter in primis filius meus *Hermann*, qui ipso ut altero patre fere quotidie usus est, et quem, sicut quoque nepotem ex filia natu maiorem, optimae spei juvenem, Carolum *Fikenscherum*, absoluto scholasticae disciplinae curriculo ad altiora studia transientes adhuc vidit, avi perdilecti piam sanctamque habet semperque habebit memoriam.

Transegit sic vitam b. pater placidam, tranquillam, eamque simplicem et aequalem, inter religiose explenda munerum multiplicia officia, ter (annis 1776, 1782, et 1792) ex supremi magistratus academicī fascibus gerendis onerosiora et ex parte difficiliora facta, inter labores privatos lucubrationsque litterarias, quotidie ad medium fere noctem continuatas, inter domus familiaeque suae curam gerendam, et inter consuetudinem et familiarem et litterariam cum amicis numerosissimis sermone epistolisque mutuis colendam. Qualis fuerit b. Pater in vita hac tam publica, quam domestica agenda, qualem sese praestiterit civem in republica, Christianum in ecclesia rebusque sacris, qualem collegam collegis, magistratum subditis, praceptorē disciplulis, amicum amicis, quid idem meruerit de litterarum nostra Universitate in longo hoc ministerii curriculo, in quo non solum jam diu ordinis sui philosophici, sed ultimis annis totius Academiae senior factus erat, quid de erudienda studiosa juventute, de formandis acuendisque plurium quam mille discipulorum, per omnes deinceps Germaniae terras et ultra dissitorum, ingenii et doctrina solidiore, quid denique de omni orbe litterario per operum maiorum minorumve multitudinem ad commendandum profundius et fructuosius litterarum, philologicarum praesertim, studium, ad veterum auctorum interpretationem, criticamque in primis, expediendam rectiusque

dirigendam, ad antiquitatem illustrandam, et ad historicam priscae doctrinae omnisque litteraturae cognitionem augendam, haec latius exponere et laudare haud decet filium, etsi meritorum paternorum colentissimum. Dicant laudentque haec digniore sermone oreque facundiore alii, b. parentis Collegae et amici, aut quisquis vitae ipsius meritorumque, nominis ipsius celebritatem inter eruditos, gratamque et piam memoriam inter cives posterosque, nec vanam tantum fugacemque gloriolam, contentum, testis fuerit atque cultor ingenuus. Quidquid tamen de eo, quod b. pater praestiterit in litteris, arbitri coaevi posterique iudicent, certe quod ad animi virtutes, vitaeque privatae domesticaeque, quam b. pater degit, rationem attinet, repetere saltem licebit filium, ipsummet in adulta aetate patris consuetudine familiari per quatuor lustra et quod excurrit fruentem, quae de his alii b. parentis familiares et propinqui unanimi consensu iudicarunt: fuisse Ipsum virum ἐσθλον νόμαζον, antiquae et infucatae fidei, pium erga Deum, et in cultu ipsius publico et privato religiosissimum, probum, sincerum, veritatis sudio perfusum, simulationisque et mendacii osorem strenuumque adversarium, vita moribusque simplicem, paucis contentum, in fruendis vitae remissioris oblectamentis moderatissimum, immo parcissimum, splendoris aequae, ac luxuria et desidiosae voluptatis inimicum, aequo animo res adversas invidiaeque virus ferentem, et vitae aerumnarum praesidium solatiumque in religionis et artium cultu quaerentem, amicum amicis fidelem, et ad officia ipsis aliisque pentibus praestanda toto animo paratissimum, patrem denique familias conjugemque aequae suorum amantem, ac a suis amatum, liberorumque educationi commodisque pro viribus scilicet prouidentem. Atque sic vere haec de ipso dici possunt, quae poeta quidam priscae Graeciae*) ad vitam beatam sibi parandam egregie commendat:

„Δυπη σε μακραν προσφυξεται, αγαθα φρουντα. Μιμη το καλον,
και μενεις εν βροτοις αριστος. Νομος εσι θεος· τετον αει παντοε τιμα.
Ξενος οφειλεις ειναι των καλων φρουντων. Οπα καλως βιοις, πα-
ραμενε, και εντυχεις τα παντα. Παρατηρει τα πανταν καλα, και ταυτα
συ μιμη. Ρησιν δαγκαδην δεδομενην φυλασσε σαυτω. ως μηδεν ατακτειν,
την πουχιαν κατα βιον ινα παντοε τηρησ. Υγιονειν ευχες τοις θεοις,
εφ οσων εχεις ζην.“

Neque ita fieri potuit, quin bonus vir in rebus iucundis et adversis animi illam aequitatem et tranquillitatem servaret, qua sola factum est, ut non modo inter varias corporis aegritudines, gravioresque aliquot morbos, quibus non juvenis solum, sed et adhuc grandaevus vexatus fuit, et inter vitae victusque curas, media praesertim

*) *Sotades Atheniensis*, cuius fragmenta quaedam Athenaeus, Stobaeus, et alii servarunt, collecta a Hertelio in libro raro: *Vetustissimorum Comicorum sententiae etc.* Basil. 1560. 8.

aetate ipsum prementes, sed etiam in vita adeo sedentaria et in lucubrationibus litterariis confecta ad senium tam felix placidumque perveniret. Numquam enim otiosus, totus potius vixit summamque animi contentionem invenit ad ultimos usque vitae dies tum in instituenda studiosa iuventute, tum in perficiendis laboribus litterariis, operibusque edendis, quibus nominis, quam ipse nunquam ambivit, auctoritatem nactus est. Inprimis laborem indefessum impendit componendo vasto illi operi, quod inde ab a. 1788 molitus erat, et quod maxime ad existimationem ipsius in orbe litterario augendam fecit, Bibliothecae Graecae Fabricianae novam editionem puta, cuius elaboratio a Bibliopola (qui expressis verbis novam tantum auctamque editionem Fabriciani operis, haud vero novum prorsus, aliaque methodo instituendum opus, quale omnino exoptatus fuisse, pactus erat) primum quidem III. Heynio demandata, ab ipso vero recusata, et ex propria ipsius propositione patri meo commissa fuerat. In quo opere usque ad Volumen XII continuando postquam viginti annos consummaverat, (primum Vol. apparuit a. 1790, duodecimum a. 1809) nihil magis doluit, quam necessitatem a temporis calamitate Bibliopolae honestissimo summe invito impositam, interrumpendi operis sistendaeque editionis, cuius ultimi duo tomii ex parte iam a manu b. Patris praeparati erant, et cuius tam ex relictis schedis, quam proprio labore finiendi atque admodum necessariis indicibus supplementisque instruendi forsitan imposterum mihi amicisque ad haec invitandis dabitur opportunitas. Attamen seposito hoc labore haud desivit patris diligentia transire ad novos, siquidem hisce novissimis annis non solum breviori notitiae litteraturae graecae aliisque minoribus scriptis edendis, sed etiam auctoribus quibusdam priscis (Demostheni de corona, et Ciceroni de Oratore, quod opus ultimum fuit, paucos dies ante obitum finitum) denuo recensendis incubuit. Inter hos ipsos labores adhuc in senio 75 annorum de recondenda Societate latina in Universitate nostrate serio cogitavit, propositionesque de hac re elaboravit et ad supremum magistratum transmisit.

Praeter haec negotia litteraria b. Parens haud parum temporis dicavit studiose colendo epistolarum commercio late diffuso cum multitudine virorum doctrina meritisque clarorum illustrumque, tam patriae varias regiones quam terras exteras remotissimasque, Italiam (ubi imprimis cum dignissimo sibique amicissimo J. Morellio, Equite et Bibliothecario Veneto longe praestantissimo, viro mihi quoque venerandissimo, nec non cum celeberrimo Garatonio, Professore Neapolitano et Ciceronis editore meritissimo, cel. Cajetano de Ancora etc., litteris consuescere volupe ipsi erat), Gallias, Belgium, Scandinaviam, Hungariam etc. ornantium. Ex eorum V. V. C. C. copia, qui patrem ad divisorum sedem praeiverunt, gratais imprimis memoria servavit nomina epistolasque Reiskii, Kaestneri, Nösselti, Ernestii, Ruhnkenii, J. G. Rosenmüller, ipsius familiarissimi, Brieglebii, Mori, Reizii, Heynii, Jaegeri, Ackermani, Purmanni, de Matthaei, Brunkii, Oberlini, Villoisonii, Com. de Teleky, Com. de Rewitzky, St. Croix, de Croix, du Theilii, aliorumque plurium, ut de numero-

sorum patriae nostrae veteranorum et decorum, adhuc viventium, epistolari cum b.
Patre commercio nihil addam.

Neque defuerunt b. Patri honoris et existimationis documenta, quibus tum ex principum munificentia, tum ex Academiarum et societatum litteriarum decretis insigniretur. Siquidem Potentissimi Reges Hispaniarum et ambarum Siciliarum donaverunt ei exemplaria splendida Catalogorum Bibliothecarum Madritensis (Iriartii, cuius Tomus II. proh dolor perit, et Neapolitanae, quod posterius opus pariter deest), et Celsiss. Marchio Badensis eum ornavit nummo aureo maximo, civibus bene meritia dicato. Idem in membrorum exterorum numerum a Societatibus litterariis et philolog. Jenensi, Altdorfina, Bremensi et Carlsruhensi jam in juniori aetate, et a. 1777 ab Academia scient. utilium Erfordiensi quoque receptus, anno autem 1803. ab Jll. *Instituto Nationali Gallico*, tum sic dicto, hodie Academiae Regiae Paris. Scient. nomen crursus gerente, Sociis litterarum commercio sibi conjunctis adscriptus, anno 1807. ab Inlyta Imperiali Russ. *Universitate Moscovensi* Membri Honorarii, et a. 1811. ab Jll. *Academia Scient. et Art. Florentina*, quae Liburni residet, itidem Membri Honorarii Diplomate ornatus est.

Anno 1812, aetatis suae septuagesimo quarto, ipsaque die sua natali, id ei gratum faustumque evenit, ut jubilaeum semisaeculare dignitatis Doctoris Philosophiae et L. L. Art. Magistri, ante 50 annos impetratae, integris adhuc viribus in librorum paucorumque familiarium privato at ovante coetu celebraret, renovatumque Diploma ab ampliss. Ordine Philosophico acciperet, cui equidem epistolam gratulatoriam addideram. Anno 1815, quum Annorum quoque *Quinquaginta*, quibus munus Professoris gerere summi numinis benevolentia ipsi concessit, numerus completus esset huius quoque iubilaei Professoris quinquagenarii, quali ante eum nulli Professorum Erlangensium attingere datum erat, publica festivitate celebrandi, spem atque desiderium alebant filii et familiares, tam venerandum caput corona jubilari cinctum salutandi cupidi. At viri optimi modestia vetuit, filios talem jubilaei celebrationem expressis litteris ab Universitate, aut proprio ausu a supremis rerum academicarum Moderatoribus, nedum a Rege Ipso, in aestimandis veteranorum tam diuturnis meritis iustissimo et in remunerandis benignissimo, petere: atque sic nemine superiorum in rei huius notitiam vocato, praeter spem et exspectationem factum est, ut bonus senex diem jubilaeum in museo suo inter suetos labores et in placido silentio, nullis gratulantibus concursibus interrupto, suorum votis contentus transigeret.

Die 26. Octobr. eiusdem anni 1815, postquam adhuc per maximam diei partem tam ante quam post meridiem publico iuventutis scholasticae examini in Jll. Gymnasio nostrate ex Scholarchae munere interfuisset, ibique ex pavimenti frigore pedum graviorem refrigerationem passus esset, vix ex hoc actu regressus subitaneo morbo catarrhali cum insigni lassitudine correptus est. Accersitus ego, qui jam inde ex pluribus quam viginti annis curam valetudinis suae gesseram, initio morbum hunc

haud gravem, nec a simplici febre catarrhali, quali saepe laboraverat, diversum putabam, nullis signis sinistris insolitusque praesentibus. At altera jam die manifestavit sese affectionis vis atque insidiosa gravitas; febrem enim jam esse inflammatorio-nervosam, non tantum pulmones, sed magis adhuc immo maxime cerebrum afficientem, nervorumque vim mire prosterrentem, deprehendi.

Etenim haud veram nedum exquisitam adesse pneumoniam catarrhalem, sive ipsius pulmonum texturae vel vasorum pulmonalium bronchiarumve interiorem inflammationem, ex eo cognovi, quod respiratio usque ad penultimam vitae diem manserit aequalis, facilis, placida, profunda, quod tussis, etsi initio sat frequens facileque irritanda, haud tamen gravis nec dolorosa, nec intercepta vel spasmatica esset, quod porro sputorum pituitosorum haud mali moris nec unquam sanguine tinctorum sed talium potius, qualia in simplici pulmonum catarro esse solent, exscreatio facilis et absque ullo pectoris dolore pungente vel comprimente, minimeque copiosa procederet, et quod nulla quoque nec loquendi difficultas, nec vocis sonorae alteratio vel demissio, nullum denique cubandi in utrovis corporis latere incommodum per omne morbi tempus observari posset. Pulsus cordis arteriarumque magni erant, solito validiores, pleni, sed molles, magis undulantes, haud nimis celeres, fereque semper aequales, ubi modo ab unius alteriusve ictus intermissione, qualem iam longe antea ex senii natura saepius in ipso observaveram, discesseris.

Mox, tertia quartaque iam die, accesserunt mentis obnubilationes, deliria tacitura, carpologia et sopor; febre fere continenter aequali vi persistente, parumve saltem nec certis temporibus remittente. Interea crevit simul artuum debilitas, motuum voluntariorum asthenia, viriumque prostratio. In lucidioribus mentis sibi conscientiae intervallis de doloris, quem forte aliquo loco sentiret, sede et modo saepius quaesitus a me aegrotus, semper respondit, nihil nisi sinciput, in regione praesertim frontali sinistra, sibi dolere, premendo vel tundendo tamen magis quam pungendo aut lacinando; pectus vero, nisi quod praeter morem gravatum sit, doloris sensu liberum esse. Atque redeunte rursus sopore et paraphrosyne, ex qua, vehementius crescente vi morbi, difficilis tantum imperfectiusque resus citari potuit aeger, ipsum crebro vidi capititis regionem illam digitis tangere, quasi quid, quod aegre ferat, demere vellet. Ali quanto magis etiam calebat sinciput reliquo corpore, etsi huius quoque calor externus internusque per omnem morbi decursum naturalem solitumque sensiliter superaret, adeoque perduraret, ut neque in ipso agone diminutum ipsum, neque plus quam quadraginta post mortem horis elapsis in cadaveris aperti abdomen interno penitus extinctum sentirem. Initio cutis etiam madebat, et tertia morbi nocte sudor universalis modicus erumpebat, cum aliquo levamine, quo tamen rursus ex industri haud satis cauta mutatione evanescente nullus amplius rediit. Caeterum alvus et urina segnius quidem parciusque justo, at non ita difficulter nec male processere; prioris tamen clysmatibus ciendi aliquoties fuit necessitas. Nec sitis erat immodica, etsi solito maior; nec ciborum appetitus prorsus defecit, idque primis praesertim die-

bus, quamvis serius non nisi e statu soporoso excitatus aliquid nutrimenti tenuioris aeger sumserit. Sic etiam tabaci sumo sugendo, cui multum adsuetus erat b. Pater, adhuc in acumine morbi, fere jam inscius delectatus est. Lingua squalida initio, serius siccior; et tremula, nec tamen arida nec nigricans facta est. Oculi turbidi, quasi pulverulenti; caeterum adspectu naturales. Inde a quinto circiter die saepius facileque ex potu singultus accessit, per temporis minutum perdurans. Facies sensim, at non tantum, in lineamentorum tractu longior evasit.

Therapiae, quam morbus talis postularet, rationem methodumque hanc esse duxi, ut initio, quum affectionis natura, cerebrique ea in primis, subinflammatoria magis (haud licet perfecte pureque phlogistica) esset, et inflammationem typhodeam ex metastasi vel propagatione irritationis catarrhalis e longo totius membranae Schneideriana ad cerebrum anterius usque referret, temperatam et pro indole affectionis locique proxime affecti modificatam curationem antiphlogistica anticatarrhalem leniterque simul diaphoreticam instituerem, posteaque, quum crescente in ipso typhodeae inflammationis progressu sensorii nervorumque debilitate, et manifestius accidente spasmodica non solum nervorum trunci, sed diaphragmatis quoque passione, nervosi systematis exquisitius incitandi et erigendi, arcendaque a cerebro eiusque et diaphragmatis nervis vasisque gangraenae paralytice, accederet necessitas, ad moderatum nervinorum et analepticorum usum, revulsivis cutaneis et alvinis junctis, transirem. At elusit morbi vis, senio adjutore, quaecunque artis praesidia, spemque servandi tam cari capit. Etenim morbo potius rapide progrediente, ex singulari vastoque nervorum vagorum consensu versus diem quintam sextamque paraphrenitidem pariter malignam accessisse deprehendi. Frustra equidem in auxilium vocare studui remedia interna et externa, quae ad morbum complicatum et malignum adeo debellandum ex dictis rationibus idonea putabam. Initio scilicet, quum catarrhalis passionis natura adhuc praemineret, cerebrumque levius tantum affectum videretur, praescripsi eodem adhuc die 26. Octobr. liquorem Mindereri cum extracto hyoscyami, cardui bened., et kermete minerali, adjecta pro potu ptisana antiphlogistica et leniter eccoprotica, regimineque modice diaphoretico. Die 28. Oct. (tertia morbi) illius medicinae loco dedi tum mixturam ex rad. senegae et rad. valerianae infuso aquoso cum liquore ammonii anisato, tum alteram ex cortic. quinquinae decocto aquoso et rad. arnicae infuso aqu. cum liquore ammonii anisato pauciore compositam, et utramque mutuis vicibus sive alternis horis e cochleari majore propinare praecepi. Tum, inflammatoria cerebri affectione clarius sese prodente, et simul sympathicae quoque diaphragmatis et $\tau\tilde{\omega}\nu \mu\epsilon\tau\alpha\varphi\epsilon\nu\tilde{\omega}\nu$ passionis similis vestigiis ex crebriore singulu levibusque circa os spasmis apparentibus, praemissa eccoprotica mixta ex sale ammon. cum manna, dedi d. 31. Oct. pulveres ex camphorae gran. 11. et salis volatilis siccii gr. 111, cum saccharo, et decoctionem quinquinae et cascariellae cum kermete min. Sequenti die praescripsi pulveres ex hydrargyri muriati mitis granis 11 cum kermetis grano dimidio, cuius loco postea camphoram ad calomel addidi, et iuxta hos pulveres decoctionem Quinae cum infuso aquos. r. serpentariae camphora-

que mixtam. Praeterea dedi pro theae potu flores arnicae, cum flor. chamomillae, huicque iustis temporibus aquae vel ptifanae hord. cum acido phosphorico et syrupo modice mixtae potum interponi iussi. Ultimis diebus moschum dosi duorum trium-
ve granorum, alternando huius cum modo dictis medicinis usu, ast incassum pariter, adhibui.

Neque, quod ad externa remedia attinet, omisi venaesectiones, bis inter quatuor priores dies factas, modicas licet, pro senio tam proiecto viriumque remissione, in qua utraque phlebotomia sanguis missus corio medico obductus apparuit, et quibus factis nec in pulsū nec in cerebri affectu morbi reliqui statu mutati quid reperi. Nec sinapismorum et vesicantium ad nuchas, pectus, et suras applicationem, nec clysterum repetitorum et fomentorum ex aceto calido circa pedes usum neglexi. Nihil opis tulerunt neque hae, neque aliae dictae medicinae potionisve, diligenter propinatae. Accessere potius die sexta septimave singultus graviores, longiusque durantes, deglutienti difficultas, postremo in paralysin pharyngis abiens, spasmi faciei, colli, brachii sinistri, et sensim totius lateris sinistri insigniores, et stertor. Oculi sinistri angulum materiem fundebant puriformem, et similis ac tenuior limpidiorque humor subinde ex naribus guttatum stillabat. Febre et asthenia sic magis magisque ingravescente, sensoriique vita jam ad extremum usque fracta, arteriarum tamen vi ad ultimum usque halitum praeter exspectationem valida manente, tandem placide et quasi somno se dans exspiravit venerandus senex animam, hora meridiana diei 2. Novembris, noni morbi, vitae annis LXXVII et aliquot mensibus insuper cum omnium bonorum plausu completis. — Sectio cadaveris, quam me praesente Exper. Dr. Fleischmann fecit, confirmavit quidem ex parte conceptam morbi diagnosin, quippe quum in aperto thorace pars dextra inferior diaphragmatis una cum adjacente pulmonis dextri parte infima rubore inflammatorio luculenter tintae et suffusae apparebant; abdominis visceribus omnibus integris repertis, nec etiam in reliqua pulmonum textura, neque in corde, quod naturali erat mole et compage, nec in arteriarum truncis, iusto licet rigidioribus, nec in pharynge aut larynge laesae vitiatae structure vestigiis patentibus. At princeps morbi nidus propterea tamen inexploratum mansit, quod ex iustis aliis causis capit is thecam osseam aperire cerebrumque dirimere noluimus.

Mortem, dum viveret, nunquam extimescens, futurae potius vitae beatitudinem certissima fiducia adspirans, sereno quoque vultu mortuus est; atque sic vere de optimi viri die suprema dici potuit:

Bis δικαιος γιγνεται τελος καλος.

Index Scriptorum omnium
beati Gottlieb Christophori Harless,
secundum ordinem chronologicum.

§§. *D*e Praeconum apud Graecos officiis diatribe. Jenae 1760. 4. — §§. *Gedanken von dem Zustande der Schulen und ihren Verbesserungen*. ebend. 1761. 8. — §§. Praecones veteribus invisi, ibid. eod. 4. — §§. *De sapientia in verbis quam armis prius quaerenda*, ad Terent. Eunuch. 4, 7, 29. ibid. eod. 4. — §§. *In Xenophontis Cyropaediam comment. crit.*, ibid. eod. 4. — §§. *De nominibus Graecorum libellus*. ibid. 1763. 8. — §§. *De fato Homeri*, Gotting. 1763. 4. — §§. *Diss. de Jove Homeri*. Erlangae 1763. 4. — §§. *Erlanger Realzeitung*, Jahrg. 1763. 64. maximam partem. — §§. *Erlanger gelehrte Zeitung*, 1764. 65. rededit, multaque ibi recensuit. — Easd. *ephemerides litter. Erl.* iterum direxit a. 1796—98. — §§. *Vitae philologorum*. Vol. I—IV. Bremae 1764—72. 8. — §§. *Introductio in historiam linguae latinae*. ibid. 1764. Edit. II. 1772. 8. — §§. *Diss. de originatione vocabuli Nurenberg*. Erlang. 1764. 4. — §§. *De ἑρσεφορίᾳ*, festo Graecorum. ibid. eod. 4. — §§. *Programm. de statuis Mercurio apud Graecos ante januas positis*. ibid. 1765. 4. — §§. *De pedantismo philologico, programmata IV*. Coburg. 1765. et 1767. — §§. *Gedanken von den Realschulen*. Bremen 1766. 8. — §§. *Prüfung der Gedanken, ob es vortheilhaft sey, mehrere Universitäten zu errichten?* in 4 Programmen. Cob. 1796. 4. — §§. *Coburgische politische Zeitung*, Jahrgänge 1765. 68. — §§. *Gesammelte Nachrichten von dem Leben und den Stiftungen des Coburgischen Kanzlers von Scherer, genannt Zieritz*. ebend. 1766. 4. — §§. *Positiones miscellae*, Dissertatt. IV. ibid. eod. 4. — §§. *De Galantismo aesthetico et philologico*, disserratt. IV. — ibid. 1767—68. 4. — §§. *Chrestomathia graeca poëtica*, curavit et animadverss. illustr. Addita Aristophanis Comoedia, Plutus, e recensione Bergleri et cum ejusd. et Dukeri notis. ibid. 1768. 8. — §§. *Cph. Cellarii orthographia latina*, observatt. illustrata. 2 Tomi. Altenbg. 1768. 8. — §§. *Demosthenis Oratio de Corona*, cum variorum et suis animadverss. edidit. ibid. 1769. 8. — §§. *Lectio- num Terentianarum Specimina critica*. Cobg. 1769. 1771. 4. — §§. *Disp. Lectio- nes Terentianae*. ibid. 1769. 4. (*Fortgesetzt in Programmen*). — §§. *Observatt. criticae in Terentium, Phaedrum, Vellejum Patercul. et Demosthen. de corona*. Progr. II. ibid. eod. 4. — §§. *Von dem frühzeitigen Versetzen in den Schulen und dessen schädlichen Folgen*, ebend. 1769. 4. — §§. *Sucro's kleine teutsche Schriften*, herausgeg. von G. Chr. H., ebend. 1769. 8. — §§. *Praecogaita quaedam de interpretatione Homeri*. Erlang. 1770. 4. — §§. *De artificio et ornatu epistolaæ*

Pauli ad Philemon. ibid. eod 4. — §§. Philologumena quaedam et philosophumena de opinione veterum de animo hujusque post mortem fatis. ibid. eod. 4. — §§. Chrestomathia latina poëtica, animadverss. illustrata. Altenbg. 1770. 8. — §§. De interpretatione Homeri progr. IV. Erlang. 1770 — 71. fol. — §§. De votis pro salute principum cum primis valetudinis caussa. ib. 1771. fol. — §§. Perizonii animadversiones historicae. Altenb. 1771. 8. — §§. Progr. in locum Ciceronis de officiis L. II. cap. 15. Erlang. 1772. — §§. De seminarum conditione et auctoritate apud gentes quasdam, progr. ibid eod. fol. — §§. De animis piorum ad coelestem musicam redeuntibus, secundum placita quorundam veterum philosophorum. ib. eod. fol. — §§. Ovidii libri Tristium et e Ponto, cum suis et alior. excerptis animadverss. ib. eod. 8. — §§. De medicis quibusdam heroicis Progr. ib. eod. 4. — §§. Quintiliani institutiones oratoriae, e rectione Rollini, addita lectionis varietate. Altenb. 1773. 8. — §§. Opuscula varii argum. Halae 1773. 8 maj. — §§. Cornel. Nepotis Vitae excell. imperatorum, cum animadv. A. van Staveren, Harlesii et Kappii. Erlang. 1773. 8. Edit. altera auctior et corr. 1800. 8. maj. — §§. De oculo Programmata IX. ibid. 1773 — 76. fol. — §§. Progr. in Moschi Jdyll. II. de raptu Europae. ibid. 1774. fol. — §§. Anthologia latina poëtica. Altenb. 1774. 8. — §§. Anthologia graeca poëtica. Norimberg 1775. 8. Edit. II. Baruthi. 1792. 8. — §§. Aristophanis Comoedia; Plutus, et Coluthi raptus Helenae, cum varior. suisque animadverss. Norimb. 1776. 8. — §§. M. T. Ciceronis dialogi tres de Oratore; animadversiones interpretum excerptum suasque adjecit. Norimb. 1776. 8. — §§. Spicilegium I. et II. ad Bowyeri et Schulzii collectionem conjecturarum in Nov. Test. Erlang. 1776. fol. — §§. Progr. super Coluthi carmine de raptu Helenae. Sectiones III. ibid. 1776. 77. fol. — §§. Auspicia Seminarii philologici et de ejus forma ac constitutione progr. ibid. 1777. fol. — §§. Anzeigen und Beurtheilungen akademischer und anderer kleiner Schriften. 2 Bändchen. Frankf. und Leipzig (Nbg.) 1777. 78. 8. (in Gesellschaft anderer Gelehrten). — §§. Chr. Gottl. Schwarzii Dissertationes selectae, quibus antiquitates et juris Romani nonnulla capita explicantur, collegit, recensuit et praefatus est. Erlang. 1778. 4. — §§. Lectionum Venusinarum specimina XIV. ibid. 1778 — 92. fol. — §§. Introductio in historiam linguae graecae. Altenbg. 1778. 8. Editio altera. ibid. 1792 — 95. II Tom. in 8 maj. — §§. Sallustii bellum Catilinarium atque Jugurthinum, ex rectione Gottl. Cortii, c. praefat. Norimb. 1778. 8. Edit. altera auctior et emend. 1797. 8. — §§. Fl. Eutropii breviarium historiae Rom. recens. Laur. Reinhardus, editio nova correctior et notis criticis etc. aucta. ibid. eod. 8. — §§. De Dorismo Theocriteo progr. II. Erlang. 1779. fol. — §§. M. T. Ciceronis Epistolarum libri IV. a Jo. Sturmio olim collecta, nunc autem longe emendatius etc. in usum scholarum editi. Additae sunt selectae quaedam epistolae Plinianae. — §§. Vorrede zu Joh. Paul Reinhard's Einleitung zu einer allgem. Geschichte der Gelehrsamkeit, quam b. Pater edidit Erlangen 1779. 4. — §§. De interpretatione loci cuiusdam difficilioris in Aristotelis Art. Poet. Commentatt. II.

ibid. 1779. 1780. fol. — §§. *Theocriti reliquiae, graece et latine.* Lips. 1780. 8. maj. — §§. *Andr. Sam. Gessneri selectae exercitationes scholasticae varii argumenti, c. praefat.* Norimb. 1780. 8. — §§. *De vario eoque vero et falso usu philosophiae in scholis inferioribus progr.* VI. Erlangae 1780. 81. fol. — §§. *Bionis et Moschi, quae supersunt, cum notis Jo. Heskin integris, aliorumque selectis, graece et latine.* Erlang. 1780. 8. — §§. *Praefatio ad Chrestomathiam oeconomicam collectam a C. Ph. M. Snell.* Gissae 1780. 8. — §§. *Aristotelis de poetica liber, graece et latine.* Lips. 1780. 8. maj. — §§. *Anthologia graeca prosaica.* Norimb. 1781. 8. — §§. *C. Valerii Flacci Argonauticon libri VIII.* c. nott. Petri Burmanni I. integris et selectis Lud. Carrionis aliorumque. Ex recensione et cum animadverss. Altenbg. 1781 8. — §§. *Introductio in notitiam litteraturae Romanae, in primis scriptorum latinorum.* Pars I. et II. Nor. 1781. 8. maj. et iterum Lips. 1794. 8. maj. — §§. Progr. de veterum ad deam Fortunam votis. Erl. 1782. fol. — §§. *Kritische Nachrichten von kleinern theologischen, philosophischen, historischen und philologischen Schriften.* Bd. I. Stück 1 und 2. Nürnberg 1782. St. 3. u. 4. Hof 1783. Bd. II. St. 1 u. 2. 1784. St. 5. 1785. 8. (in *Gesellschaft anderer Gelehrten*). — §§. *De Thaletis doctrina de principio rerum in primis de Deo, ad illustr. Ciceron. de nat. Deor. libr. I. cap. X. programmata III.* ibid. 1785—84. fol. — §§. *Christ. Gottl. Schwarz exercitationes academicae; collegit, recensuit et praefatus est. C. tabb. aen.* Nor. 1785. 4. — §§. Progr. super binis locis Ciceronis, de nat. deor. I. 54. et orat. Verr. I. 13. Erl. 1784. fol. — *M. T. Ciceronis Orationes Verrinae ex recensione et cum animadverss. Acced. Q. Asconii Commentationes.* P. I. et II. ibid. 1784. 8. — §§. Progr. de quibusdam pietatis exemplis, qua matres et aviae publice privatimque affectae sunt. ibid. eod. fol. — §§. *Juliani Imperatoris Caesares.* Ex recens. et eum adnotatt. suis. Ib. 1785. 8. — §§. *Himerii Soph. oratio, qua laudes urbis Constantinopoleos et Juliani Aug. celebrantur.* E recens. et cum comment. Gottl. Wernsdorfii ibid. eod. 8. — §§. *Thom. Tyrwhitt diss. de Babrio fabularum Aesopiarum scriptore.* Edit. II. cum praefat. ib. 1785. 8. — §§. *In Eudociae violarium observationum specimen; progr. ibid. eod. fol.* — §§. *Fortgesetzte kritische Nachrichten,* Bd. I. St. 1. u. 2. Halle 1785. Bd. II. St. 1. u. 2. 1786. 8. — *De commutatione felici infelicium casuum et publicarum calamitatum programm.* I—IV. ibid. 1785—86. fol. — §§. *De Aristophanis comoedia, Nubes inscripta Programmata IV.* ib. 1787 et 88. fol. — §§. *S. Aurel. Victoris historia Roman.* Ex recens. Jo. Fr. Gruner, cum animadverss. ib. eod. 8. — §§. *Thom. Tyrwhitti conjectae in Strabonem.* Curavit et praefatus est. Ib. 1788. — §§. *Aristophanis Nubes, graece et latine, una cum scholiis graecis.* Edidit et animadverss. illustravit. Lips. 1788. 8. maj. — §§. *De Empedocle, num ille merito possit magiae accusari,* programmata III. Erlang. 1788—90. fol. — §§. *Brevior notitia litteraturae Roman.* Lips. 1789. 8. — §§. *Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Graeca, sive notitia scriptorum graecorum, quorumcunque monumenta integra aut fragmenta edita extant etc.* Editio IV., varior. curis emendatior atque auctior, continuata,

magnam partem in novum ordinem digesta; et numerosissimis commentariis et additam, instructa a. b. *Patre.* Vol. I. Hamb. 1790. Vol. II. 1791. Vol. III. 1793. Vol. IV. 1795. Vol. V. 1796. Vol. VI. 1798. Vol. VII. 1801. Vol. VIII. 1802. Vol. IX. 1804. Vol. X. 1807. Vol. XI. 1808. Vol. XII. 1809. 4. maj. — §§. Progr. comparatio perturbationis Galliarum provinciarum cum Atticis quondam. ib. eod. fol. — §§. De caussis quibusdam perturbationum in imperiis, progr. ad natal. regis Frid. Wilhelmi II. Ib. eod. fol. — §§. Chr. Gottl. Schwarz opuscula quaedam academica varii argumenti; collegit atque praefatus est. Cum tabb. aeri incisis. Nor. 1793. 4. — §§. De ortu et fatis Universitatis litterarum Friderico-Alexandrinae, commentationes I—XIV. Erl. 1793—1800. fol. — §§. Geo. Heinr. Martini *akademische Vorlesungen über die Litterärarchäologie, nach Anleitung des Ernestischen Lehrbuchs, durchgesehen und mit Anmerkungen begleitet* (sine nominis sui additione). Altenb. 1796. gr. 8. — §§. *Supplementa ad breviorum notitiam litteraturae Romanae, in primis scriptorum latinorum.* Pars prior. Lips. 1799. Pars posterior. 1801. 8. — §§. Ricard. Dawes miscellanea critica. Iterum edidit, curavit et appendicem adnotationis adjecit Thom. Burgess. Tertium edidit et praefatus est. Lips. 1800. 8. maj. — §§. De memorabilibus quibusdam bibliothecae academicae Erlangensis. Commentatt. I—XII. Erl. 1800—1815. fol. — §§. *Notitia brevior litteraturae Roman., in primis scriptorum latinor., in usum scholarum conscripta.* Lips. 1803. 8. — §§. *Supplementa ad introductionem in historiam linguae graecae.* Tom. I. Jenae 1804. Tom. II. 1806. 8. maj. — §§. Progr. de recentissimis fatis universitatis litterarum Friderico-Alexandrinae comm. I. Erl. 1805. fol. — §§. Corn. Nepotis vitae excellentium imperatorum. Cum animadverss. Jo Andr. Bosii. Varias lectiones, notas et praefationem addidit Jo. Frid. Fischer. Editio nova multo auctior et emendatior. Lips. 1806. 8. maj. — §§. *Brevior notitia litteraturae graecae in primis scriptorum graecorum ordini temporis accommodata, in usum studiosae juventutis.* Lips. 1812. 8. — §§. Demosthenis oratio pro corona. Editio nova, multo auctior et emendatior. Lips. 1814. 8. maj. — §§. M. T. Ciceronis de Oratore dialogi tres. Iterum edidit cum auctioribus suis animadverss., multoque emendatius b. *Pater.* Lips. 1816. 8. maj. (*Opus posthumum*).

Scripsit porro virorum clarorum, tum olim in Universitate nostrate ipsius Collegarum, tum Principum regnantium, *Memorias Vitasque sequentes:* Memoria J. G. Kraftii, Erlang. 1772. fol. — Mem. J. Ph. Statii Müller, Erlang. 1776. fol. — Leben des verst. Prof. Statius Müller, das. 1776. 4. — Mem. J. M. Seidel. ib. eod. fol. — Mem. J. R. Kieslingii, Erlang. 1778. fol. — Mem. J. P. Reinhardi, Erlang. 1779. 4. — Mem. Jo. J. Schier-schmidii, ib. 1779. 4. — Mem. C. W. Buirette ab Oehlefeld, ib. 1782. fol. — Oratio in memoriam Ejusdem habita. — Mem. S. G. Succovii, ib. 1786. 4. — Prolusio ad exsequias Friderici II. Boruss. Regis. Erl. 1786. fol. — Mem. A. S. Schott. ib. 1787. 4. — Mem. J. E. Pfeifferi, ib. 1787. 4. — Progr. ad exsequ. Frider. Carolinae Marggraviae Brand. Erl. 1791. fol. — Mem. H. Fr. Delii, ib.

1791. 4. — Mem. J. Chr. *Rudolph*, ib. 1792. 4. — Mem. J. F. *Isenflamm*. Erlang.
 1793. 4. — Mem. J. Ph.J. *Rudolph*, ib. 1797. 4. — Progr. ad exsequ. Regis *Frid. Wilhelmii II.*, de vita et meritis ejusdem. ibid. 1798. fol. — Progr. ad laudat. funebr. *Alexandri Marggrav.* Brand., de vita ac meritis hujus principis. Erl. 1806. fol. — Mem. G. Fr. *Seileri*, ib. 1807. fol. — Mem. J. W. *Rau*, ib. 1807. 4. — Mem. J. B. *Geigeri*, ib. 1809. 4. — Mem. J. Chr. D. *Schreber*, ib. 1811. 4. —

Praeterea *Epistolas* adjecit ad calcem plurium *Dissertationum philologicarum*, ex ipsius consilio scriptarum, et sub ipsius praesidio a Sociis quondam Seminarii philologici pro obtainendo Magistri L.L. AA. gradu publice deinceps defensarum ita Dissertationibus V. V. Cl. Cl. J. G. *Papst*, (b. Patris postea Collegae amicissimi, nunc Decani Zirndorfensis et Theol. Doctoris summe venerandi), *Maurer*, *Beschnbeck*, *Stieber*, (nunc Professoris Onoldini meritissimi), J. Chr. *Kapp*, Chr. Fr. *Ammon* (qui Vir Summe Venerabilis, litterarum humaniorum linguarumque velt. cognitione haud minus ac theologicae doctrinae copia insignis, Dissertationem suam, de *Ammonio Grammat.*, huius auctoris editioni, ab ipso paulo post publici juris factae praemiserat), *Wucherer*, *Prinzing*, et al.

Denique b. *Parens* non solum scripsit numerosas *Orationes latinas*, ab ipso e rostris academicis in celebranda Academiae solemnia, principum natalitia, exsequias, etc. recitatas; nec non *poemata* quaedam gratulatoria; sicut etiam ex munieris ratione omnia *decreta* et *promulganda academica*, quotquot nomine senatus academicici *latino sermone* e valvis publicis declaranda erant, inde ab a. 1770 — 1815. ab ipso exarata sunt: sed *multorum quoque librorum epitomes* et *censuras* exhibuit in *ephemerid. litter. Erlangensib.*, et in aliis quibusdam.

Praeter magnam orationum modo memoratârum partem *reliquit* b. *Parens* multitudinem annotationum et collectaneorum litterar., ad varios auctores vett. graecos latinosque, in primis ad *Qu. Curtium* (cuius editionem diu solliciteque praeparaverat) facientia, nec non supplementa, ad Fabricii Bibl. Gr., uti quoque ad *Introductiones suas* in Hist. Litt. Gr. et L. Rom. et ad utramque Notitiam suam breviorrem etc. denuo edendas diligenter collecta. Ex quibus b. Patris *reliquis litterariis*, manu sua scriptis anecdotisque, forsitan proxime sequentibus annis, si Deus vitam viresque et otium mihi dabit, selectiora et ad usum eruditorum insignius ascientia, in unum alterumve volumen colligere et in publicum edere equidem studebo, addita, uti certe in votis est, sylloge annotationum doctarum, philologici argumenti, quae in epistolis complurium virorum clarorum, ad b. patrem scriptis, dispersa inveniuntur. Cui proposito, suo tempore explendo iuvandoque faveant, velim, iidem Viri clari et de studio philologico doctrinaque solidiore meritissimi, qui beatum Patrem favore, consilio, et operibus suis egregie adeo extruxerant, et quorum haud ita pauci filium quoque heredem favoris et amicitiae, quam cum Patre contraxerant, facere non recusant.

Hadest.

Continentar:

1. Memoria Ph. G. Hemsteri, auctore Heinrich
2. ————— Fr. Heij. Priandti, auct. Haenichen
3. ————— Georg. Rudolphi Hoelmeri. Praemissa est
commentatio de Romanaorum sacra scriptione, more,
mentis actis medicinae adversa. (egregia scriptio)
4. Gedächtnissrede auf Bon. C. Hette, gehalten v. Neander.

17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

Harleß

gehalten fanden sic

2. Memoria Hevelii, von Blech

3. Memor. Reggeri, von Blech.

4 — Günzii, von Rose

5 — Nürnbergi, von Titius.

6 — Lobsteini

7 Vita Hoedereri, von von Moltk

וְיַעֲשֵׂה יְהוָה כָּל־^אמִרְאֶת

בְּנֵי
יִשְׂרָאֵל

וְיַעֲשֵׂה יְהוָה כָּל־^{בָּ}מִרְאֶת

בְּנֵי
יִשְׂרָאֵל

Haarleß

Confineatur:

Fun. Orationis in parental. / Th. Car. Hartmanni.

Memoria Friede de Wendt, sorris. Chr. R. Haarleß (a. 1821, ex
Vol. XI. Nov. Actov. Acad. Nat. Cur.).

Chr. Gottl. Naesthuero de semi-aeculari gratulatur J. S. Scheibe
Profrat. 1786 (pro Christ. L. W. de Wolff Declamatio).

Vita ac. Gottl. Clenforiori Haarleß, descripta a filio Cl. R.
Haarleß. 1817.

Chr. W. Bernard, de ratione Hippocratice concusa. L. B.
1818.

